

O mulier, magna est fides tua!

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

15, 21-28

In illo témpore:

²¹ Egréssus Iesus secéssit in partes Tyri et Sidónis.

²² Et ecce múlier Chananáea a finibus illis egréssa clamávit dicens:

«Miserére mei, Dómine, fili David!
Fília mea male a dæmónio vexátur».

²³ Qui non respóndit ei verbum.

Et accedéntes discípuli eius
rogábant eum dicéntes:

«Dimítte eam, quia clamat post nos».

²⁴ Ipse autem respóndens ait:

«Non sum missus
nisi ad oves, quæ periérunt domus Israel».

²⁵ At illa venit et adorávit eum dicens:

«Dómine, ádiuva me!».

²⁶ Qui respóndens ait:

«Non est bonum súmere panem filiórum
et míttere catéllis».

²⁷ At illa dixit:

«Etiam, Dómine,
nam et catélli edunt de micis,
quæ cadunt de mensa dominórum suórum».

²⁸ Tunc respóndens Iesus ait illi:

«O múlier, magna est fides tua!
Fiat tibi, sicut vis».

Et sanáta est filia illíus ex illa hora.

Verbum Dómini.